

M-s. 201
2

294.

4

DE
RESVRRECTIONE CHRISTI
DEMONSTRATA
EX
GENERATIONE FILII

ACT. XIII, 32. 33.

PROGRAMMA
FESTO PASCHATOS
A. R. S. C I D I O C C L I V .
P. P.

HELMSTADII
LITERIS SCHNORRIANIS

DE
RESURRECTIONE CHRISTI

DEMONSTRATA

BY

GENERATIONE ANNI

MDCCCLXXXIII

PROGRAMMA

ESTO PASCHATUS

A. S. S. S. S. S.

R. P.

HEIMAT

HEIMAT



ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE

PRO-RECTOR

CVM SENATV ACADEMICO

S. P. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.



esurrectionem Christi cum Paulus in
 Synagoga Antiochena prolixo et gra-
 vi sermone assereret, huius prædi-
 ctionem e testimonio Davidis de ge-
 neratione Filii demonstrare videtur,
 inquit: Καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα
 τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαν γενομένην, ὅτι ταύτην ὁ Θεὸς ἐπ-
 πεπλήρωκε τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῶν, ἀναστήσας Ἰησοῦν. ὡς καὶ ἐν τῷ
 ψαλμῷ πρῶτω γέγραπται, υἱὸς μὲν εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε.
 Act. XIII, 32. 33. Quod hoc loco ad Psalmum *primum*
 provocetur, cum tamen verba citata in *secundo* extent,
 res est levioris momenti, et Criticorum disputationibus
 satis

IV

fatis illustrata. (a) Longe maior difficultas in eo deprehenditur, quod verba: *Filius meus es tu, ego hodie te genui*, ad Christi resurrectionem applicari videamus. Solent enim, ut notum est, de *æterna Filii generatione ex essentia Patris* intelligi. Atque hac interpretatione supposita primum non apparet, vaticinium de Messia his verbis contineri, quod tamen Apostolus innuere videtur, adimpletas esse prædictiones antiquas, ex iisdem demonstraturus. Secundo, corporis crucifixi resuscitatio ab æterna illa Filii generatione adeo differt, ut, quicquid de hac dictum est, ad illam applicari nullo modo possit. Quare cum hanc difficultatem sentirent interpretes, non veram ac propriam Filii generationem hoc loco doceri, sed Redemptoris in cruce interfecti resurrectionem prædici, multi existimarunt. Neque parum illorum causam iuvabat hæc observatio, quod, licet verba in se spectata aliud quid præ se ferre videantur, authentica tamen Scriptoris, quem DEI Spiritu agitatam esse novimus, explicatio præferenda sit.

Sed hi, qui Davidis verba vaticinium de resurrectione Christi esse volunt, rursus in plures sententias abeunt. Sunt enim *primo*, qui illa *corporis mortui resurrectionem et egressionem e sepulchro* immediate significare putant. Horum opinio est, generari et nasci idem esse, quod

(a) Observarunt enim, in aliis Codd. legi $\Psi\alpha\lambda.\mu\eta$ omisso numero, in aliis $\Psi\alpha\lambda.\mu\eta$ *deuterio*. Alii, quibus $\mu\eta\delta\epsilon\tau\alpha$ retinere placuit, ostendunt, Psalmum primum toti Psalmorum libro instar proemii olim præmissum fuisse, ideoque secundum ab Hebræis habitum pro primo. Multi quoque Iudæorum traditionem approbant, psalmum primum et secundum olim in unum confusos fuisse. De his omnibus Vid. MILLIUS in *Not. ad b. l.*

quod vitam recuperare, et e profunditate sepulchri redire; Terram enim et Patrem et Matrem appellari. Atque ita Scriptores non tantum profanos, (*b*) sed etiam Sacros loqui; Iobum mortem suam vocare reditum ad uterum matris; Iob. I, 21. Quin ista *κατώτερα μέρη τῆς γῆς*, quorum David Ps. CXXXIX, 15. mentionem facit, nihil aliud esse, quam maternum uterum. Quando itaque DEUS inquit, *ego hodie te genui*, concludunt, id esse, *ego hodie te e morte et sepulchro eduxi*. Et hanc esse, dicunt, mentem Apostoli, ad hæc verba provocantis, dum resurrectionem Christi a Prophetis prædictam esse contendit. (*c*)

At enim vero explicatio ista nemini magis placere potest, quam SOCINIANIS, licet celeberrimum Auctorem, cuius sententiam recitavimus, horum Divinitatis Christi hostium causam agere haud voluisse, certi sumus. Ut enim qualibet æternæ Christi Divinitatis argumenta infringere conantur, ita et in eo refutando maximopere defudant SOCINIANI, quod à propria generatione Filii ex essentia Patris ducitur. Tantum abest, inquirunt, ut Christus propter generationem istam Dei Filius appelletur, ut potius honorificæ huius compellationis aliæ reddantur causæ in ipsa Scriptura. Atque huc inprimis pertinere putant resurrectionem eius ex mortuis. *Ter-*
tia

a 3

(*b*) Ita arbitrium orbis terrarum, qui omnium Parens esset, portendi, teste SVETONIO, credebatur, cum IULIUS CAESAR se matri vim inferre somniaret. Et contra TIBERIVM defunctum terra Mater à populo invocabatur. Itemque terram *δημητέρα* antiquitus appellatam esse, testis est PHIL O.

(*c*) Hæc est sententia RICHARDI KIDDERI in Dem. Iesum esse Messiam Part. I. Cap. VIII. §. 18.

VI

tia causa, inquit CRELLIVS, ob quam Christus Dei Filius dicitur, est ipsius à mortuis resuscitatio, resuscitatio, inquam, ad immortalem vitam. Ob hanc enim primogenitus ex mortuis à Paulo appellatur Col. I. 18. Apoc. I. 5. cuiusnam vero primogenitus, nisi Dei? Quamquam resuscitationis vox tam late potest extendi, ut etiam quantum ac præcipuam in se complectatur causam, ob quam Christus Dei Filius dicatur, nempe Christi exaltationem seu euectionem ad imperium ac summum sacerdotium, ut infra clarius docebimus. Locus autem, qui ob resuscitationem luxius sumantur, in qua nimirum etiam consequens exaltatio comprehendatur, Christum Dei Filium esse doceat, illustris extat. Act. XIII. 32. 33. - - In hoc loco causa, cur Iesus Filius Dei sit, hæc afferitur, quod is sit à mortuis resuscitatus. Hanc autem generationem ex Dei essentia, nihil cum suprema illa Deitate, quæ Christo competat, commune habere, res ipsa satis ostendit, etc. (d)

Quantum nos iudicare possumus, multum quidem laboriosæ eruditionis, sed nihil solidi, nihil veri, interpretatione ista continetur. Nam i. si vel maxime constaret, Terram aut Patrem aut Matrem olim appellatam esse, num ex eo sequeretur, generari idem esse, quod resuscitari, et è sepulchro prodire? Ex hac causa id, quod ex terra ortum est, genitum quidem dici posset, minime vero, quod in ea aliquamdiu reconditum de novo restauratur. Et si hoc loquendi genus in usu quam fuisset apud scriptores profanos, unde constaret, id etiam imitatos esse Prophetas et Apostolos? Provocatur

(d) Vid. IO. CRELLIVS in Lib. I. de Vno Deo Patre Sect. II. Cap. XXXI. p. 55.

tur quidem 2. ad quãdam scripturã loca. Sed ista nihil prorsus probare videntur. Iobus ex. gr. Cap. I. 21. inquit, *se nudum venisse ex utero matris, et nudum etiam illuc rediturum esse.* Num vero uterus matris hoc loco terram significat? Illuc tamen, inquires, se reversurum esse, Iobum testari, quod non uterum maternum, sed terram respicit. Esto ita. Sed unde scis, τὸ illuc *ἔξει* denotare locum, ex quo Iobus egressus erat? Nonne locum significare potest, ad quem abeunt omnes mortui. Hebræorum namque *כָּבֵד* non semper determinate reditum, sed quandoque etiam *abitam* et *discessum* connotat. Quare ex nostra sententia recte vertunt LXX. *ῥηὸς καὶ ἀπελευσόμεαι ἐκεῖ*, et Lutherus: *Nakend werde ich auch dahin fahren.* Scilicet quemadmodum nudus, inquit Iobus, ingressus sum in terram viventium, sic etiam nudus discedam ex illa. Magis dissentientium causam iuvare videtur locus Ps. CXXXIX. 15. *Non latuit te os meum, quum factus sum in occulto; formatus sum in inferioribus terræ,* ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς, ut LXX. reddiderunt. Haec enim *inferiora terræ* utique respiciunt uterum matris, in quo foetus formatur et perficitur. Sed iam non quaeritur, *num uterus maternus dici possit inferiora terræ*, verum potius, *num terra appelletur uterus, et hinc eductio corporis vivificati à terra intelligi possit per generationem?* Prius facile a nobis conceditur. Ut enim, quæ in visceribus telluris peraguntur, in loco humili et caliginoso fiunt, ita et in loco humili et caliginoso efficit, quicquid omnipotens Dei manus in utero matris operatur. Atque hoc animo suo pie volvit Psaltes, inquires, *factus sum in occulto, formatus sum in inferioribus terræ:* Q. d. cum manus tua me prepararet in utero matris meæ, idem edidisti miraculum, ac si me in loco caligine

VIII

ligine tecto, et in ipsis terræ visceribus, tanta tamen sapientia et circumspeditione formasset, quæ non nisi circa res apertas et in sole positas adhiberi potest. Sed quis ex eo cogeret, terram ipsam appellari uterum, et egrifsum è terra esse generationem? Nimirum metaphoricæ dictiones non semper involuunt *reciprocam nominum translationem*. Potest ex. g. conversio dici generatio, et resuscitatio à mortuis. Sed minus recte ageret, qui generationi aut resuscitationi nomen conuersionis imponeret. Accedit 3. generationem istam Ps. II. 7. significare haud posse resuscitationem Christi, licet concederetur, resuscitationem hominis in genere appellari posse generationem. Cur enim illa diceretur generatio? sine dubio, quia terra cum patre aut matre comparatur, et qui resuscitatur, è gremio terræ exit. Huic ergo metaphora si inharere velimus, dicendum foret, resuscitatum generari à terra. Nemo enim generare potest, nisi Pater, et nemo parere, nisi Mater. Ecquis autem est ille, à quo Messias Ps. II. 7. genitus esse dicitur? Iehovah, Deus omnipotens, cuius est Filius, et qui Regem suum super Zion, montem sanctitatis suæ inunxit. Quodsi autem Messias à Deo gignitur, Deus, non terra, est Parens eius. Si terra non est Pater Messiae, cadit ratio ista unica, ob quam resuscitatio eius generatio dici posse creditur.

Ab hac igitur interpretatione, quam nullis innixam rationibus esse vidimus, discedunt alii, atque, ut nihil minus ostendant, praedictam his verbis esse Christi resurrectionem, supponunt, totum psalmum secundum immediate de Davide loqui. Surrexerant contra eum Reges et Principes terræ, multaeque illi calamitates persecutio, quam

quam ad exilium. In quod cum eiectus esset, restituebatur a Domino, et ad pristinam dignitatem rursus evehebatur. Id, putant, Davidem sibi velle his verbis: *Ego autem constitui Regem meum super Sion, montem sanctitatis meae, recitabo decretum, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Constitutio ista Regis in monte Sion illis esse videtur restitutio Davidis post cladem Absolomi, quod ipsum etiam per generationem significari credunt. Tunc enim David, inquit, generabatur a Deo, cum ad populum suum rediret, et imperio potitus pro electo et dilecto Dei filio declararetur. Quemadmodum autem Rex iste Messiam multis modis adumbrabat, ita et hac in re illius typus fuisse creditur. Innumerae et ingentes erant persecutiones, quibus Messias undiquaque ab hostibus suis petebatur. Decreverant eius interitum, nec doctrinae eius sapientia et virtute, nec vitae sanctimonia, nec miraculorum excellentia, nec ulla alia re moveri se patiebantur, ut odium ac iram cohiberent. Tandem interficiebant eum in cruce, et nunc de eo actum esse sibi persuadebant. Sed restituebatur a Deo gloriosa resurrectione a mortuis. Effregit potentissima eius dextra portas mortis et inferni, et eduxit magnum pastorem ovium e sepulchro. Quod vero cum fieret, novam quodammodo vitam nactus est, et sepulchrum ipsi erat instar uteri eum gignentis. Quando itaque David ad se dictum esse testatur: *Filius meus es tu, ego hodie te genui;* simul restitutionem Messiae imperfecti eiusque resurrectionem tanquam in typo vaticinatur. (e)

b

Eo-

(e) Ita locum hunc interpretatur IOANNES FEARSONIVS in Ex-
pos. Symb. Apost. p. 447. seq.

Eodem fere modo de sensu loci Pf. II, 7. iudicavit IOANNES CALVINVS, si hoc unum exceperis, quod non de Davide, sed de Messia, Psalmo isto immediate agi supponat. Nam quicquid de eo *effective* praedicatur in Psalmo, id *declarative* intelligi oportere putat. Inquit Deus: *Filius meus es tu, ego hodie te genui.* Ast hoc ita interpretatur: *Filius meus es tu, teque a me genitum esse, suo tempore declarabo.* Et quoniam haec Messiae divinitas et aeterna eius generatio nulla re illustrius manifestata est, quam resurrectione eius a mortuis, concludit, his verbis vaticinium de resurrectione contineri, quo Paulus, divino Spiritu edoctus, Christi resurrectionem, eiusque necessitatem, probare voluerit. Sed audiamus ipsa Auctoris verba! *Non prodiit (Christus) certe in mundum sine testimonio, quo se Filium Dei probaret. Conspicua enim fuit eius gloria, qualis decebat unigenitum Dei, sicut habetur Io. I. et passim iactat se Deum habere testem ac vindicem huius honoris. Genuit ergo Deus Christum, quum ei certas notas insculpsit, unde vera et expressa eius effigies et Filius agnosceretur. Neque tamen hoc obstat, quo minus Christus sapientia sit, ab aeterno Patre ante tempus genita, sed illa arcana est generatio, hunc autem praedicat David manifestatum fuisse hominibus. Ita relatio est, ut diximus, ad homines, non ad Deum: quia quod absconditum in Dei corde erat, hominibus palam innotuit. Et elegans est figura, quod non minus clare testata sanctaeque fuit Christi divinitas, quam si ante hominum oculos genitus a Deo foret. (f)*

Sed

(f) Vid. IO. CALVINVS in Comment. in Act. Apost. ad Cap. XIII. 33. p. m. 135.

Sed cur, quaeso, ambages istas tam anxie et laboriose quaesiverunt auctores? Cur locum sole clariorum in alienos sensus non absque temeritate detorserunt? Cur non viderunt, quod in aprico est, qui alias profundiora Scripturarum mysteria feliciter scrutati sunt? Certe, si quid nos videre valemus, id factum est, ut hypothesein tuerentur, quam non satis exploratam nimis confidenter semel amplexi erant. Credebatur nempe Apostolus ad vaticinium de resurrectione Christi provocasse, quando resurrectionem istam prolixè et efficaciter testatus inquit: *Quemadmodum et in Psalmo primo scriptum est: Filius meus es tu, hodie te genui.* Hac opinione supposita quaerebant interpretationem verborum, quae aeternam Filii divinitatem et generationem ex essentia Patris evidentissime testabantur, interpretationem, inquam, qua effici posset, ut haec verba resurrectionis praedictionem esse viderentur. Quis enim horum interpretum ingenii vires adeo exercuisset, nisi credidissent, haec verba ex Psalmo citata, iuxta mentem Apostoli, esse vaticinium de resurrectione? At enim vero haec falsa est suppositio. Provocat Apostolus ad verba Davidis, cum de vaticiniorum complemento, et de illorum obsignatione per resurrectionem sermonem faceret. Sed non provocat ad ea, quasi resurrectionis essent praedictio. Id enim, ni fallor, his argumentis evidentissime demonstraturi sumus.

Postquam Apostolus v. 33. verba Davidis recitaverat: *Filius meus es tu, ego hodie te genui;* mox v. 34. ita pergit: *Quod autem eum resuscitaverit a mortuis, nec passus sit, ut in corruptionem abeat, de eo ita dixit: Dabo vobis sanctam Davidis fidelitatem.* Propterea et in alio

inquit: Non permittes, ut sanctus tuus videat corruptionem. Qui hanc verborum connexionem attente et absque praeiudicio contemplatur, non poterit non videre, nunc demum demonstrationem resurrectionis in Vet. Test. praedictae inchoari. Inquit enim: *Quod autem resuscitaverit eum* etc. q. d. Quod autem Christus iuxta Prophetas resuscitari oportuerit, id ex Ies. LV, 3. et ex Ps. XVI, 10. intelligere potestis. Significat hoc ipso, se quidem resurrectionem Iesu crucifixi haecenus asseruisse, sed nondum demonstrasse, eam quoque praedictam esse a Prophetis; nunc ergo se hoc quoque negotium aggressurum esse, ut omnis dubitandi ratio illorum animis eximeretur; praedictam autem esse resurrectionem a Davide et Iesaja. At vero v. 33. praecesserant verba: *Filius meus es tu*, etc. Praecesserant in confirmationem asserti, quod v. 32. legitur. Ergo alio fine excitata fuerunt a Paulo, et non ex hac ratione, ut Iudaeis vaticinium de resurrectione Messiae in memoriam revocaretur.

Secundo expendamus ipsam thesin, quam probaturus ad divinum testimonium de aeterna Filii generatione provocavit Apostolus. Legitur illa v. 32. et his verbis continetur: *Annunciamus vobis promissionem Patribus factam, quam Deus nobis illorum filiis adimplevit, resuscitans Iesum.* Sive, quod eodem redit: *Postquam Deus Iesum ex mortuis resuscitavit, omnem illam promissionem, quam Patres de Messia acceperunt, nostro tempore implevit.* Quod cum dixisset, mox subiungit: *Sicuti et in Psalmo primo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie te genui.* His itaque verbis probare non vult, praedictam esse Christi resurrectionem, sed tantum adimpletas esse,

esse, et adimpleri opportuisse quascunque promissiones de Messia. En igitur argumentationem paulinam! *Si Messias est ipse Dei Filius, a Patre ab æterno genitus, ut in Psalmo secundo scriptum est, promissiones quoque omnes Patribus datas Deus suo tempore adimplevit, postquam Christus resuscitatus est a mortuis.* Sed quaenam convincendi vis inest huic ratiocinio? Quomodo ex eo, quod Christus sit a Patre genitus, sequitur, vaticinia de eo pronuntiata adimpleri debuisse? Nonne Deus, qui mentiri nescit, et quævis alia promissa servat? Ita quidem est. Sed primum meminisse nos oportet, hoc loco inprimis de vaticiniorum adimplerione sermonem esse, quibus *Christi exaltatio* prædicta erat. Nam v. 29. Apostolus dixerat, Iudæos perfecisse ea, quæ Prophetæ de illius exinanitione scripserant. Tunc v. 30. 31. testatur Christi resurrectionem, multis apparitionibus demonstratam. Quo facto v. 32. Iudæis declarat, se iam amplissimas illas promissiones de ipsius exaltatione annunciare. Atque has impletas esse, et impleri oportuisse ex eo probat, quod Christus sit Filius DEi. Itaque robur argumenti in eo situm est: Nolite mirari, promissiones istas de eximia illa exaltatione in Christo iam adimpletas esse; Est enim ille DEi Filius, de quo scriptum est, hodie te genui. Secundo et hæc argumentandi ratio reddi poterit. Si quid DEus promisit, et id non adimpletur, culpa in eo esse debet, quem promissiones istæ respiciunt. At vero nulla in Messiam cadere potest culpa. Est enim ipse DEi Filius, ex essentia Patris ab æterno genitus. Ergo quicquid de illius exaltatione et glorificatione promissum est, adimpleri debuit.

Quodsi autem Christus iuxta prædictiones Prophetarum ex hac potissimum causa exaltari debuit, quia est DEi Filius, ex eadem causa quoque necessum erat, ut a mortuis resurgeret. Nam resurrectione ista status exaltationis inchoabatur. Et præter hæc Christus ut verus et unigenitus DEi Filius agnosci, coli, et adorari haut potset, nisi a mortuis resurrexisset. Multis quidem signis æternam hanc Messæ Divinitatem DEus demonstraverat. Vox de coelo audita est, quæ testabatur, hunc esse Filium eius dilectum. Matth. III, 17. Ipse Christus innumera propemodum miracula in conspectu populi edidit, quæ omnia eo tendebant, ut homines crederent, eum esse DEi Filium. Io. XX, 31. Sed nihil evidentius, nihil certius veram eius divinitatem demonstrare poterat, quam resurrectio a mortuis. Quare etiam Christus, cum Iudæi signum peterent, quo de divina eius missione convincerentur, eos ad exemplum Ionæ reiecit, quo edoceri poterant, Christum in cruce interfectum elapso triduo rursus e sepulchro egressurum esse. Matth. XII, 39. 40. Et Paulus testatur, resurrectione Christi demonstratum esse, quod sit DEi Filius. Rom. I. 4. Quæ omnia si recte consideramus, dubium non est, quin resurrectio Christi ex æterna Filii generatione demonstrari possit.

Hæc sunt, *Cives charissimi*, quibus animos vestros ad piam resurrectionis Christi recordationem præparare volumus. Adest enim tempus, quo Præcones verbi Evangelium illud omni solatio plenum nobis annunciant, Christum in cruce interfectum, devicto Satana, fractisque infernorum portis, ad æternam et immortalem vitam resurrexisse. Quæ quidem predicatio cum coelum et terram olim miraculose moverit, gentesque per orbem

bem terrarum disperfas excitaverit, ut Christum quæ-
 rent, et ad regnum eius accurrerent; utinam et corda
 vestra sanctis his diebus adeo moveret, ut à morte spiri-
 tuali, quam et ipsam Christus morte sua sustulit, ad vi-
 tam, quæ ex Deo est, resurgeretis! Hoc namque illud
 est officium, cui ut ab omnibus Christianis satisfiat, A-
 postolus præcipue resurrectionis Christi commemoratione
 hortatur. *Sepulti estis, inquit, una cum Christo in
 mortem eius, ut quemadmodum Christus ex mortuis re-
 suscitatus est per gloriam Patris, ita et vos in novitate vi-
 tæ ambuletis.* Rom. VI. 4. Mortuus est homo naturalis
 in prævaricationibus, sed ita mortuus, ut vitam recupere-
 ranti potentia passiva non careat. Nam et ipse Laza-
 rus, qui est imago hominis spiritualiter mortui, nun-
 quam resuscitatus esset, si instar lapidis vitæ non fuisset
 capax. Ast virtus ista, qua resurgendum, qua vivendum
 est, omnino deficit. Atque hanc omnipotens Dei
 Spiritus è coelo in cordibus nostris exercere vult, nisi ipsi-
 us gratiæ malitiose resistamus. Eadem enim virtus, qua
 Christus excitatus est ex mortuis, in nobis quoque effi-
 cax est, qui per gratiam eius credimus. Eph. I. 19. 20.
 Ut autem hæc virtus per verbum prædicatum et auditum
 intellectum illuminat, corda movet, et omnes ani-
 mæ facultates sanctificat, ita verbum illud vos
 diligenter audire et pie meditari oportet. Inpri-
 mis magna vis inest verbo, quo prædicatur Christus à
 morte resuscitatus. Quod si quis animo discendi cupido,
 simplici, et integro capit, fieri haud potest, quin uni-
 versam doctrinam coelestem de Christo Redemptore am-
 plectatur, illi vera fide adhæreat, eius vestigia pre-
 mat, se ipsum abneget, omnemque Evangelii dulcedi-
 nem gustet. Ecquid enim hæc sibi volunt verba Apo-
 stoli:

XVI

stoli: Traditus est propter peccata nostra, et resuscitatus propter iustitiam nostram? Rom. IV, 25. Scilicet quem admodum morte sua transgressiones nostras expiavit, ita resuscitatus est, ut in eum credere, et hac fide iustificari non minus quam sanctificari possimus. Agite ergo, o Nostri! et cavete, ne Christus pro vobis frustra sit passus et resuscitatus. Surgite cum illo nunc ad vitam spiritualem, ut et cum illo ad aeternam vitam aliquando surgere possitis. P. P. in Academia Iulia

Carolina. D. XIII. April. A. R. S.

CICIDCCCLIV.



AB: 153990

ULB Halle 3
004 327 640




sb.

v. 18

R





Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

B.I.G.

Farbkarte #13



4

DE
RECTIONE CHRISTI
DEMONSTRATA
EX
NERATIONE FILII
ACT. XIII, 32. 33.
PROGRAMMA
TO PASCHATOS
R. S. CIOIOCLIV.
P. P.

HELMSTADII
ERIS SCHNORRIANIS